

DISPUTATIO XV.

De causis & subjecto Peccati.

CAUSÆ peccati sunt ea, à quibus actus peccaminosus suo modo producitur, vel à quibus in existendo dependet, quorum aliqua sunt intrà peccantem, ut intellectus in dirigendo deficiens voluntas male appetens, appetitus sensitivus inclinans, voluntatem in objectum inordinatum & hæ vocantur à S. Th. causæ peccati interiores. Aliæ causæ, de quibus quæritur, sunt extrà peccantem & vocantur exteriores, quæ mediantibus causis interioribus inducunt ad peccandum.

Q U Æ S T I O I.

An Deus sit causa Peccati?

DEUM peccare non posse constat: quia omne peccatum est defectus à causâ primâ & ultimo fine; atqui est impossibile, ut Deus in operando deficiat à primâ regulâ & ultimo fine; deficeret enim à seipso, cum ipse sit prima regula morum & ultimus finis; & sicut infinitæ perfectioni repugnat quælibet imperfectio, ita infinitæ bonitati & sanctitati repugnat quæcunque malitia moralis.

DICO. *Deus nullo modo est causa peccati; S. Th. hic Q. 79. a. 1. O. est veritas fidei definita à Trid. sess. 6. de justif. Can. 6. contra hæreticos; Si quis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minus proditio Juda quam vocatio Pauli; anathema sit.*

Probatur 1. Omne peccatum est aversio à Deo; atqui impossibile est, ut Deus ullo modo faciat alicujus voluntatem à se averti; ergo impossibile est, quod Deus ullo modo causet peccatum. 20

DE
1. Quid
Deum, qui
peccatum or
peccatum alic
3. Sicut in
directè vel in
repugnat om
lita.
Obiiciunt 1
Deus mala deci
malum in cruce
4. Joseph à
consilio, sed D
cifixionibus Act
filio, & praesc
rum affigentes
datur; Conven
consilium tuum
2. Deus fa
quod in se hab
dicitur malum
Crucifixio Chr
maliter ex parte
tantur in volut
torum; si verd
nes aliqua phyl
ivum,
Obiiciunt 2.
Impios ad eos d
propter semetips
que ad diem ma
habet potestatem
aliud quidem vi
liam, quod si I
ere potentiam
vafajra apta in

2. Quidquid à Deo causatur, est ordinabile in Deum, qui omnia propter se operatur; sed implicat peccatum ordinari in Deum; ergo implicat, quod peccatum aliquâ ratione sit à Deo.

3. Sicut infinitæ veracitati repugnat omnis falsitas directè vel indirectè causata, ita infinitæ sanctitati repugnat omnis malitia directè vel indirectè causata.

Objiciunt 1. Hæretici loca script. in quibus dicitur Deus mala decrevisse & fecisse: ut: Amos. 3. *Si erit malum in civitate quod dominus non fecerit.* Genes. 45. Joseph à Fratribus venditus dicit: *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc Missus sum.* De crucifixoribus Act. 2. v. 23. dicitur: *Hunc definito consilio, & præscientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et cap. 4. v. 27. & 28. dicitur: *Convenerunt . . . facere, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.*

82. Deus facit & decernit omne malum pœnæ, quod in se habet aliquod bonum, & solum respectivè dicitur malum, comparativè ad illum, qui punitur; Crucifixio Christi & venditio Joseph, si sumantur formaliter ex parte vendentium & crucifigentium, referuntur in voluntatem Dei permissivam talium peccatorum; si verò materialiter spectentur, ut sunt actiones aliquæ physicæ, sic pertinent ad decretum positivum.

Objiciunt 2. Textus, in quibus Deus dicitur fecisse Impios ad eos damnandos: ut: Prov. 6. v. 4. *Universa propter semetipsum operatus est dominus, impium quoque ad diem malum.* Rom. 9. v. 21. & 22. *An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, quod si Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in incertum.*

2. Deus ex totâ massâ generis humani per peccatum Adami viciatâ & in contumeliam redactâ aliquos voluit gratuitâ misericordiâ in vasa honoris per prædeterminationem assumere & eligere, alios verò per denegationem indebiti beneficii in massâ perditionis relinquere; nullum igitur Deus ad finem damnationis condidit, sed omnes ad æternam beatitudinem creavit, quorum aliquos ad ostendendam suam justitiam decreto permissivo sinit in impietatem labi, & à fine creationis deficere.

Objiciunt 3. Textus, in quibus Deus dicitur præcipere & instigare ad peccatum: 2. Reg. 16. v. 10. dicit David de semet: *Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David*; Joannis 13. v. 28. dicit Christus Judæ: *quod facis, fac citius*.

R. Hæc & similia, quæ secundum corticem verborum videntur significare voluntatem præcipientem, reverà indicant solam permissivam voluntatem, hinc non sunt vera præcepta sed intelligenda & sumenda sunt pro simplici permissione.

Objiciunt 4. Deus obdurat & excæcat peccatores, ut Exod. 7. v. 3. dicit Deus Moyfi de Pharaone: *Ego indurabo cor ejus*. Rom. 9. v. 18. *Cujus vult, miseretur, & quem vult indurat*. Et ita est causa obstinationis, & finalis impœnitentiæ, quæ maxima sunt peccata.

R. Excæcatio & obduratio potest sumi dupliciter: 1. Pro pravo affectu animi lumen veritatis recipere nolentis, & media ad pœnitentiam & salutem consequendam pertinaciter respicientis, & in hoc sensu Deus non est causa excæcationis vel obdurationis: sic enim sunt ipsum peccatum impœnitentiæ. 2. sumitur pro subtractione gratiæ illuminantis & cor hominis emollientis, ad quam sequitur obstinatio peccatoris in malo, & in hac acceptione Deus indurat & oc-

cæcat

cæcat peccato
tivè,

DICO 2.

utroque habe
a. 1. O.

Probatur:

ens participat
potentiæ & cocausâ prima
qui juxta Apoli

omnia in omni

creatus, ens p
physico influxu

quidem ille infi

peccati, non e

vius & prædere

tus & influxus

sit prior priorit

Obj. 1. Qu

etiam est causa

fat antecedens,

cum anteceden

purat alicui cap

sequitur ad am

fallibiliter sequi

sape malum.
cati, causat par
r. Distingui
vult etiam conse
tione physica,
tur conlection
morum vitalem
dicatio, & rati
positiva sed so
motum poten
1. 1. Theol.

cæcat peccatores indirectè vid. & negativè, non positivè.

DICO 2. *Actus peccati est ens est actus, et ex utroque habet, quod sit à Deo S. Th. hic Q. 79. a. 2. O.*

Probatur: Omnis effectus creatus, in quo est ratio entis participati, est formalis terminus divinæ omnipotentiae & consequenter intrinsecè dependet ab influxu causæ primæ, primi entis & moventis: Deus enim est, qui juxta Apostolum 1. ad Cor. 12. v. 6. *Operatur omnia in omnibus*; atqui actus peccati est effectus creatus, ens participatum; ergo ut talis dependet à physico influxu Dei tanquam causæ & entis primi, & quidem ille influxus, quo Deus concurret ad actum peccati, non est concursus solum simultaneus sed prævius & prædeterminans: siquidem est actualis causalitas & influxus causæ primæ, de cujus essentiâ est, ut sit prior prioritate naturæ, quam suus effectus.

Obj. 1. Qui est causa actus physici in peccato, etiam est causa peccati formaliter: quia qui vult & causat antecedens, vult etiam & causat consequens, quod cum antecedente infallibiliter connectitur: ut qui amputat alicui caput, illum etiam occidit: quia mors sequitur ad amputationem capitis; atqui malitia infallibiliter sequitur ad actum peccaminosum intrinsecè sæpe malum. Ergo si Deus vult & causat actum peccati, causat pariter malitiam peccati.

R. Distinguendo probat. quia qui vult antecedens vult etiam consequens, quod ex illo sequitur consecutione physicâ, & causalitatis Con. quod ex illo sequitur consecutione solum logicâ & illationis N. sic ad motum vitalem tibie curvæ infallibiliter sequitur claudicatio, & tamen anima movens tibiam non est causa positiva sed solum permissiva claudicationis: quia ad motum potentie locomotivæ sequitur consecutione

logicâ & illationis claudicatio intrâ Sphæram activitatis potentia locomotivæ non contenta, quo simili utitur S. Th. loc. cit. dicens: *Sicut defectus claudicationis reducitur in tibiâ curvam sicut in causam, non autem in virtutem motivam, à quâ tamen causatur, quidquid est motionis in claudicatione & secundum hoc Deus est causa actûs peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu.* Exemplum infligentis vulnus huc non quadrat; quia mors ad inflictionem vulneris sequitur consecutione physicâ & causalitatis; cum inflictio vulneris per se influat in mortem.

R. 2. Aliter distinguendo: qui causat antecedens etiam causat consequens, quando hoc sequitur ex vi antecedentis quatenus à tali causâ positi Con. quando non sequitur vi antecedentis taliter positi N. atqui malitia infallibiliter sequitur ad actum peccati vi antecedentis, quatenus moraliter & defectuosè à voluntate creatâ positi Con. quatenus effectivè & physicè à Deo causatur N. Explico: peccatum nominat ens cum quodam defectu, defectus ille non refertur in Deum veluti in causam, sed in liberum arbitrium, in quantum deficit ab ordine primi agentis; voluntas igitur dupliciter spectari potest. 1. Ut causa efficiens entitatem actus peccaminosi, & sic est subordinata Deo, & applicatur à Deo. 2. Ut est causa deficiens ab ordine rectæ rationis à Deo præscripto, & sic non subordinatur Deo, sed deficit à Deo, deficere enim non habet à Deo, sed à seipsâ, quia creata est ex nihilo.

Obj. 2. Si Deus causalitate physicâ attingat actum peccati quatenus ens & actus physicus est, quin tamen attingat malitiam formalem peccati; ergo etiam poterit per modum causæ moralis attingere materiale peccati, quin attingat formale; consequens est falsum; ergo & antecedens.

De
Negand
sequitur ex
sed ex vi voli
fectivi, Deu
mover intra li
cipium phyfi
tingit maliti
beret movere
moralè ejusm
rectè movere
quatenus est
hac disparitas
1. Motio phy
motio moralis
que quia Deus
vere, etiam n
physicam pec
tendit ad ordi
secundum que
secundum que
Motio physica
cum sola ea a
1. Motio mora
mitatem cum l
tatem actûs, a
est major motio
motio moralis
extendit ad line
Obj. 3. Si D
tio Judæ non
Pauli, quod d
6. quia Deus n
ad proditiõner
2. Negand
solum concurr

R. Negando consequentiam: quia malitia peccati non sequitur ex vi voluntatis tanquam principii physici, sed ex vi voluntatis tanquam principii moralis & defectivi, Deus autem suâ physicâ causalitate voluntatem movet intra lineam physicam, seu quatenus est principium physicum talis actionis, & sic nullo modo attingit malitiam; ut autem esset causa moralis, deberet movere voluntatem, quatenus est principium morale ejusmodi actûs, & consequenter deberet indirectè movere ad ipsam malitiam, quæ ex voluntate quatenus est principium morale sequitur; est igitur hæc disparitas inter motionem physicam & moralem:

1. Motio physica competit Deo ut motori universali; motio moralis competit Deo ut motori speciali; ideoque quia Deus non potest specialiter ad peccatum movere, etiam non potest moraliter nequidem ad actum physicum peccati movere. 2. Motio moralis se extendit ad ordinem moralem, & attingit objectum non secundum quod à movente tantum attingibile est, sed secundum quod illud attingi potest ab eo qui movetur. Motio physica est præcisiva & sistit intra ordinem physicum sola ea attingens, quæ moventi propria sunt; 3. Motio moralis attendit ad conformitatem vel difformitatem cum lege, motio physica respicit solam entitatem actûs, ad quem movet. Demum motio physica est major motione morali intensivè: quia est efficacior; motio moralis est major physicâ extensivè: quia se etiam extendit ad lineam moris.

Obj. 3. Si Deus sit causa materialis peccati, proditio Judæ non minus erit opus Dei quam conversio Pauli, quod damnatum à Trid. sess. 6 de justit. can. 6. quia Deus non minus efficaciter præmovit Judam ad proditorem, quam Paulum ad conversionem.

R. Negando consequ. quia Deus in prodicione Judæ solum concurrens ad materiale, in conversione Pauli

causavit tam materiale quam formale. Quamvis autem materiale proditionis causaverit, propterea tamen non debet dici causa vel Author proditionis sive peccati: quia ly peccatum supponit pro suo formali significato, & denotat non solum actum in lineâ naturæ, sed etiam cum difformitate formali; quodcumque autem nomen difformitatem simul cum actu significat, sive in generali sive in speciali, non potest dici, quod sit à Deo simpliciter.

Q U Æ S T I O II.

An igitur quæ ignorantia possit esse peccatum?

Ignorantia est carentia scientiæ. Error præter carentiam scientiæ importat iudicium aberrans à veritate, sive difforme objecto enunciato.

DICO I. *Non qualibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantum, quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati, S. Th. hic Q. 76. a. 1. O.*

Explicatur & probatur: illud est indirecta causa peccati, quod removet prohibens peccatum; atqui ignorantia removet scientiam ad evitandum peccatum requisitam, quam si ignorans habuisset, peccatum non commisisset. Distinguendum autem est: qualis fuerit ignorantia: si antecedens: est causa peccati materialiter sumpti: quia hæc tollit scientiam inculpabiliter; propterea quamvis non sit causa peccati formalis, est tamen causa peccati materialis: quia enim absque culpâ non scitur præceptum, committitur actus contrarius præcepto. Ignorantia consequens causat peccatum formaliter sumptum: quia ignorantia consequens est indirectè & interpretativè saltem voluntaria, ideoque est causa, quod actus peccati ex illâ secutus, sit interpretativè voluntarius, & consequenter formaliter malus. Ignorantia demum concomitans nullo modo est causa peccati; quia actum peccaminosum

DE
sum nec fac
merè per a
cepti.

DICO 2.

qua aliquis

Q. 76. a. 2.

Probat

scire tenetur

habet repugn

repugnat ete

quæ jubemur

nostræ salutis

non propter ip

quod opus, tu

tio veritatis pe

est præcepta r

distinctum pe

fit ex defectu

vocatus, q

manus suum

cie distinctu

suum rectè

rancia culpâ

quos sine ord

eiusdem spec

tur, differat

ex eodem pr

Ex his col

causa alterius

ignorantia cu

2. Actus pec

& mediante l

bitu vitioso b

ter disponit

le. Gula a

sum nec facit voluntarium, nec involuntarium, sed merè per accidens se habet ad transgressionem præcepti.

DICO 2. *Propter negligentiam ignorantia eorum, qua aliquis scire tenetur, est peccatum, S. Th. hic Q. 76. a. 2. O.*

Probatur : Ignorantia vincibilis rei, quam quis scire tenetur, est in se formaliter peccatum; quia habet repugnantiam cum præcepto & rectâ ratione: repugnat etenim præcepto & virtuti studiositatis, ex quâ jubemur adhibere debitam diligentiam in negotio nostræ salutis; & quidem quando scientia præcipitur propter ipsum scire sine propinquo ordine ad aliquod opus, tunc est speciale peccatum; cum ipsa cognitio veritatis per se præcipiatur; quando autem scientia est præcepta ratione operis, ignorantia non est specie distinctum peccatum à transgressionem præcepti, quæ fit ex defectu scientiæ; ita Confessarius, Judex, Advocatus, qui non habet notitiam eorum, quæ ad munus suum ritè obeundum spectant, non aliud specie distinctum peccatum incurrit, quam quod munus suum rectè obiens vitare debebat. Econtra ignorantia culpabilis speculabilium: ut articulorum fidei, quos sine ordine ad opus aliquod scire debemus, est ejusdem speciei peccatum, licet objecta, quæ ignorantur, differant specie: quia obligatio ea sciendi oritur ex eodem præcepto fidei.

Ex his colligitur: quod unum peccatum sæpius fit causa alterius peccati: nam imprimis: ut jam vidimus, ignorantia culpabilis est causa transgressionis præcepti. 2. Actus peccaminosus est causa habitûs peccaminosi, & mediante habitu aliorum peccatorum, quæ ex habitu vitioso sequuntur. 3. Unum peccatum frequenter disponit ad aliud: ut peccatum veniale ad mortale. Gula ad actum luxuriæ. Avaritia ad contentio-

nes &c. 4. Demum: peccatum est causa demeritoria, quod Deus in pœnam peccati denegat specialia auxilia, quibus denegatis homo in plura & deteriora peccata cadit.

Q U Æ S T I O III.

Quanam est causa materialis, siue subjectiva peccati?

Suppono: Subjectum remorum peccati est omnis creatura intellectualis: quia nulla creatura rationalis ex suâ naturâ est impeccabilis: imprimis quia nulla creatura rationalis ex parte subjecti exigit habere principia exclusiva peccati, quali sunt: unio hypostatica, visio beatifica, gratia sanctificans. Quæ principia, cum sint supernaturalia, nulli creaturæ possunt esse connaturalia: deinde quia ex parte objecti omnis creatura rationalis fertur in bonum prout abstrahit à bono honesto, utili & delectabili; ideoque non est determinata ad solum bonum honestum, & consequenter, quantum est de se, potest relicto bono honesto ferri in bonum delectabile bono honesto oppositum, ad eodque peccare. Quæstio igitur præsens procedit de subjecto proximo peccati, siue quæ potentia creaturæ rationalis peccatum admittat.

DICO. I. Peccatum potest inveniri in quâlibet potentia, cujus actus potest esse voluntarius & inordinatus, S. Th. hic Q. 74 a. 3. O. Sive subjectum quo peccati primum est voluntas & per ordinem voluntatem aliæ potentie.

Probatur una Pars: omne peccatum primario est in voluntate: quia omne peccatum est voluntarium: atqui omne voluntarium est primario in voluntate siue importat aliquo modo actum voluntatis: est enim vel elicitive vel imperative, vel directe vel indirecte à voluntate; si elicitive, tunc est ipsemet actus volun-

D
luntatis; si
Dico imp
directe est
actum vol
si indirecte
tis, qui sit c
ter liberam
agere, sed
secè in vol
Probatu
la voluntat
actus in ord
malitia qua
& in appet
maliter rep
ratione po
intellectus
pria ration
roneum c
luntas, i
actus in o
intellectui
dicaliter in
pria linea
inclinat in
tradition
ejus impe
appetitum
tiosi, sed
fidelitatis
bitus virtu
prudentie
tia, iux
tutes; v

luntatis; si imperativè, tunc saltem dependet ab actu pratico imperii, in quo actus voluntatis includitur; si directè est à voluntate; tunc est propter aliquem actum voluntatis formaliter aut virtualiter influentem; si indirectè, tunc iterum vel est propter actum voluntatis, qui sit causa vel occasio omittendi, vel certè est propter liberam cessationem ab actu, cum posset & deberet agere, sed omnibus illis modis voluntarium est intrinsicè in voluntate. Ergo.

Probatur 2da Pars: non omne peccatum est in solâ voluntate sed etiam in aliis potentiis, quarum actus inordinati sunt: quia peccatum quoad rationem malitiæ quandoque subjectatur in ratione vel intellectu, & in appetitu sensitivo: in illis enim potentiis formaliter reperitur peccatum, quorum actus ex propriâ ratione potentiæ possunt esse inordinati: atqui actus intellectûs & sensualitatis possunt esse inordinati ex propriâ ratione potentiæ intellectivæ & appetitivæ; ita erroneum dictamen intellectûs, vi cuius movetur voluntas, ut deficiat à fine ultimo & lege æternâ, est actus inordinatus ex propriâ lineâ intellectûs, cum intellectui sit proprium dirigere voluntatem & esse radicaliter indifferentem; appetitus sensitivus ex propriâ lineâ, dum perdidit frænum iustitiæ originalis, inclinatur in objectum delectabile, non obstante contradictione rationis, turbat iudicium rationis, & ejus imperio obluatur. Unde tam in intellectu quam appetitu sensitivo non tantum inveniuntur habitus vitiosi, sed etiam virtuosus: ut in intellectu habitus infidelitatis, hæresis, erroris, imprudentiæ. Et habitus virtutum his vitiis oppositi: ut fides, scientia, prudentia. In appetitu sensitivo habitus intemperantia, iræ, desperationis, & quæ iis opponuntur virtutes; ut temperantia mansuetudo &c.

Obj. 1. Si malitia moralis intrinsecè reperiatur in potentiis à voluntate distinctis, sequitur eandem numero malitiam reperiri in pluribus subjectis: ut in exemplo: in peccato delectationis morosæ malitia esset primò in appetitu sensitivo, in quo oritur delectatio. 2dò In voluntate, quæ consentit. 3tiò In intellectu, qui illis motibus exsurgentibus non dissentit & contradicit.

R. Illud non esse inconueniens: quia quamvis accidens physicum non possit subjectari in pluribus subjectis, id tamen non repugnat eidem accidenti morali, quod non accipit necessariò suam individua-lem unitatem à subjecto, sed à subordinatione variarum potentiarum & objectorum.

Obj. 2. Membra externa non sunt subjectum malitiæ formalis: quia carent libertate. Ergo neque potentiæ internæ à voluntate distinctæ possunt esse subjectum moralis malitiæ: cum similiter careant indifferentiâ & libertate.

R. Negando consequentiam: ad probat. dicitur: quod in intellectu detur indifferentia radicalis; præterea tam in intellectu quam appetitu sensitivo datur aliqua imperfecta & participata libertas propter conjunctionem ad rationem. Unde etiam appetitus inferior est natus obedire rationi, & non semper ita immobiliter adhæret objecto, ut non possit ab illo per imperium rationis dimoveri, ergo est in appetitu sensitivo eadem ratio admittendi peccata, quæ est in intellectu & voluntate videlicet indifferentia & libertas participata, quæ indifferentia est ratio, cur tam in intellectu quam voluntate dentur habitus, quibus facilitentur ad suos actus eliciendos. Sensus autem externi & membra externa ne quidem habent aliquam imperfectam & participatam indifferentiam, sed sunt subjecta despotico imperio intellectûs & voluntatis.

DICO

DICO

sualitate,

2. 4. O.

Probatur

qui tribuitur

go in sensual

peccatum me

tus concupis

diffimulante

nam subjecta

inordinatus c

rius intellect

appetitûs senti

appetitu sensu

perfecta cum

sensualitatis &

nem & perfec

vitio intellec

plus habet se

Atqui talis m

niale: est en

moru concup

cupiscentiæ n

consensus vo

deinde est so

vid. plenæ ad

sensus. Hanc

Q. 7. de malo

luntatis vel

potest attribui

primo (subject

voluntatis ve

advertentiâ)

tur peccatum

voluntatem,

DICO 2. *Peccatum mortale non potest esse in sensualitate, sed solum in ratione.* S. Th. hic Q. 74. a. 4. O.

Probatum prima pars: actus vel motus inordinatus, qui tribuitur sensualitati, solum est peccatum veniale; ergo in sensualitate non est peccatum mortale, sed si fit peccatum mortale est in ratione. Ant. ostenditur: motus concupiscentiæ inordinatus ratione vel intellectu dissimulante, & non, ut debebat, resistente, est peccatum subjectatum in appetitu sensitivo: quia motus inordinatus cum perfectâ deliberatione est potius vitium intellectûs & deliberati consensûs, quam vitium appetitûs sensitivi: quamvis enim uterque motus ab appetitu sensitivo proveniat, attamen complacentia imperfecta cum semiplenâ deliberatione potius est ex vitio sensualitatis & vehementiâ passionis turbantis rationem & perfectam advertentiam impediens, quam ex vitio intellectûs aut voluntatis, ac ita in tali peccato plus habet sensualitas, quam intellectus & voluntas. Atqui talis motus inordinatus est solum peccatum veniale: est enim imprimis peccatum, dum insurgente motu concupiscentiæ dormitat ratio, qui motus concupiscentiæ non esset peccatum, nisi adesset virtualis consensus voluntatis concupiscentiæ non obstitentis; deinde est solum veniale propter imperfectionem actûs vid. plenæ advertentiæ, deliberationis & perfecti consensûs. Hanc rationem adducit S. Th. tum loc. cit. tum Q. 7. de malo a. 6. ad 4. ubi ita docet: *Quando actus voluntatis vel rationis invenitur in peccato, tunc directè potest attribui rationi vel voluntati sicut primo motivo & primo subjecto, sed quando non est ibi aliquis actus voluntatis vel rationis (intellige perfectus cum plenâ advertentiâ) sed solus actus sensualitatis, qui dicitur peccatum, quia potest prohiberi per rationem & voluntatem, tunc peccatum attribuitur sensualitati.*

Probatur secunda pars: in ratione sive in intellectu & voluntate est non tantum veniale sed etiam mortale peccatum; De voluntate non est difficultas, quia hæc consentiendo in objecta leviter inordinata venialiter & approbando objecta mortaliter mala mortaliter peccans primarium utriusque peccati subjectum est: quoad intellectum ulterius ostenditur: Peccatum deliberatum in materiâ gravi est peccatum mortale; atque tale consummatur & subjectatur in intellectu: ut peccatum hæresis, peccatum temerarii iudicii, ignorantia crassa vel affectata &c. Ergo non solum peccatum veniale, sed etiam mortale in intellectu subjectatur.

Q. An actus appetitûs sensitivi inordinatus seclusâ omni motione vel formali vel interpretativâ voluntatis sit peccatum in appetitu subjectatum.

R. Negativè secundum illud S. Aug. l. de vera religio. cap. 14. *Peccatum adeo voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, & ratio est: ad omne peccatum requiritur libertas circa bonum & malum morale, circa honestum & inhonestum; atque in appetitu sensitivo independenter à voluntate non est libertas circa honestum & inhonestum; quia, ut in appetitu sensitivo esset libertas circa rationem honesti & inhonesti, deberet appetitus regulari per iudicium indifferens, in quo videtur ratio honesti & inhonesti proponeretur: hæc quippe ratione appetitus rationalis libertatem habet; secluso autem motu voluntatis per tale iudicium regulari non potest appetitus sensitivus: quia sicut voluntas per rationem, ita appetitus sensitivus regulatur & excitatur per potentiam cogitativam, quoad præsentia, & per reminiscenciam quoad absentia, ratio verò honesti & inhonesti est extra sphaeram utriusque huius sensûs interni.*

Obj. 1. Appetitus sensitivus secundum se habet aliquam libertatem, sicut etiam potentia cogitativa hominis,

D
minis, à
ferentiam;
sâ omni m
liter.

R. Neg
appetitū alic
ad peccatum
alio enim r
advertentiam
cui forent p
procedentes
p. m; eodem
imperfectus:
convenientia
circa honesti
tia, quæ ex e
morale, ide
fecta liberta
sufficiens m
rens motus
cto repræse
diat, sicut
si intellectus
cogitativam
ratione trista
cupiscenciam
herentiam
est, coning
& remittentia
ritus enim si
seur illud ob
ab intellectu
proponitur
rellectui &c.
que tortius

minis, à quâ appetitus dirigitur habet aliqualem indifferen-
tiam; ergo potest appetitus sensitivus etiam seclu-
sâ omni motione voluntatis ad minus peccare venia-
liter.

¶. Negando conseq. Admissio enim, quod sit in
appetitu aliqua libertas, hæc tamen non est sufficiens
ad peccatum, quia non est circa bonum & malum:
aliâs enim motus primò primi prævenientes omnem
advertentiam rationis, etiam contradicente ratione eli-
citi forent peccata: siquidem essent actus inordinati
procedentes à potentiâ habente imperfectam liberta-
tem; eodem modo in cogitativâ hominis est quidem
imperfectus aliquis discursus, sed tantum circa rationes
convenientiæ vel disconvenientiæ sensualis, non verò
circa honestum & inhonestum, unde illa indifferen-
tia, quæ ex eo oritur non est circa bonum & malum
morale, ideoque ad peccatum insufficientis. Sed imper-
fecta libertas appetitûs sensitivi ad peccatum veniale
sufficiens maximè in hoc consistit, quod ratio adver-
tens motus inordinatos in appetitu excitatos ab obje-
cto repræsentato sub ratione delectabilis eos non impe-
diat, sicut politicè tantum illi motus impediri possunt,
si intellectus & voluntas applicent pariter potentiam
cogitativam ad apprehendendum illud objectum sub
ratione tristabilis, quo facto reprimuntur motus con-
cupiscentiæ, quamvis non semper: quia sæpè ob ve-
hementiam primæ apprehensionis, quæ connaturalior
est, contingit illos motus non obstante contradictione
& renitentiâ intellectûs & voluntatis continuari; appe-
titus enim licet politicè sit subiectus voluntati, ut aver-
ferur illud objectum, quod ipsi ex impulsu voluntatis
ab intellectu mediatè & immediatè per cogitativam
proponitur tanquam tristabile, attamen non subest in-
tellectui & voluntati serviliter & despoticè, dum quando-
que fortius trahit per repræsentationem ejusdem objecti
sub

sub aliâ ratione, quâ objectum ut delectabile proponitur, quam per repræsentationem intellectûs quâ objectum ut tristabile proponitur.

Obj. 2. Præcepto: *non concupisces.* Prohibentur omnes motus concupiscentiæ; ergo omnes motus concupiscentiæ sunt prohibiti & consequenter mali.

R. Per præceptum: *non concupisces.* Prohibetur concupiscentia voluntaria & deliberata, ut sensus præcepti sit: non consenties malæ concupiscentiæ; unde in Bajo sunt damnatæ propositiones sequentes. § 0. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, eò, quia homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: non concupisces.* § 1. *Concupiscentia sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.*

Obj. 3. Ad peccatum sufficit voluntarium in causâ, sed omnes motus concupiscentiæ sunt motus voluntarii in causâ; nimirum peccato originali, ex quo sequuntur.

R. Hoc solum peccato originali proprium fuit, quod imputetur posteris propter peccatum Adami, in quo veluti capite nostro omnium hominum voluntates erant contentæ; omne autem aliud peccatum propriâ voluntate committitur, ideo personale dicitur, ad quod non sufficit voluntarium in causâ remotâ per alienam voluntatem datâ, sed debet esse voluntarium in causâ proximâ, per propriam voluntatem data.

Obj. 4. Si motus concupiscentiæ non essent peccata, illorum causa foret Deus, qui omnium, quæ non sunt peccata, est causa; hoc autem non, aliàs etiam liceret tales motus desiderare, in iis complacere &c.

R. Negando utramque sequelam: quia fomes peccati seu concupiscentia, quatenus est vitiosa & rebellis rationi, non est à Deo, sed est effectus peccati originalis, sed tantum est à Deo, quatenus est inclinatio

in

in bonum sen
non licet aut
derare: quia
semper sint m

An in voluntate
94

DICO, V
cum ali
hic Q. 77. 2. 2

Probatur:
vel quia volun
tum, vel qui
modo, & on
fit objectum ac
vel prosequitur
ordinem in pe
cato Angeloru
prædictis pecc
in intellectu
bonum falsum
um practicum
dum, quod t
error formalis
ordine, præc
considerationi
est error virtu
tum, quin præ
sive formalis f
naturâ depend
errare in amb
dem modo c
dependeat à d
tas errare, ni

in bonum sensibile proportionatum naturæ sensitivæ; non licet autem motus concupiscentiæ inordinatos desiderare: quia sunt mali malitiâ objectivâ, quamvis non semper sint mali malitiâ formali.

QUÆSTIO IV.

An in voluntate possit aliquod peccatum contingere absque prævio intellectûs defectu?

DICO. *Voluntas nunquam in malum tenderet, nisi cum aliquâ ignorantia aut errore rationis S. Th. hic Q. 77. 2. 2. O.*

Probatur: Omne peccatum in voluntate contingit, vel quia voluntas fertur in bonum, quod non est bonum, vel quia fertur in bonum non servato debito modo, & ordine prosecutionis; cum enim bonum sit objectum adæquatum voluntatis, voluntas peccans vel prosequitur bonum falsum, vel non servat debitum ordinem in prosequendo vero bono, ut contigit in peccato Angelorum; sed quocunque modo voluntas ex prædictis peccet, semper præsupponitur aliquis error in intellectu: si enim voluntas peccet amplectendo bonum falsum pro vero, præcedit in intellectu iudicium practicum, quo judicatur objectum esse amplectendum, quod tamen non est amplectendum, & hic est error formalis; si vero prosequatur bonum sine debito ordine, præcedit in intellectu omissio privativa debitæ considerationis & attentionis ad illum ordinem, qui est error virtualis; ergo in voluntate nullum est peccatum, quin præcedat in intellectu practico aliquis error, sive formalis sive virtualis; sicut si quis cæcus ex suâ naturâ dependeret ab aliquo ductore, hic non posset errare in ambulando, nisi errante ipso ductore; eodem modo cum voluntas ex suâ naturâ in operando dependeat à directione intellectûs, non potest voluntas errare, nisi ratio in dirigendo aberret.

Obj.

Obj. 1. Ex his sequitur, quod nullum detur peccatum ex malitiâ, sed omnia sint peccata ignorantiz.

R. Negando conseq. In peccante enim ex malitiâ vel scientiâ distinguendum est: vel habet scientiam in habitu præviè ante comparato: ut scivit contractum hunc, quem celebravit, esse usurarium, quam tamen scientiam hic & nunc non applicat, cum adhibitâ diligentiam de malitiâ contractûs cogitare, & comparatam ante scientiam applicare potuisset. Vel habet scientiam actualem, sed universalem: ut novit, quod die jejunii non liceat comedere carnes, ex quâ tamen scientiâ universali non descendit ad subsumendam propositionem particularem: quod hodie sit dies jejunii. Vel demum potest habere scientiam tam universalem quam particularem, ita tamen, ut in particulari non applicet intellectum ad considerandum debitum modum ac ordinem tendendi ad illud objectum. Dum igitur dicitur aliquis peccare ex scientiâ, supponitur scientiâ vel speculativa in universali, vel etiam practica, sed in habitu, vel denique actualis, quoad substantiam, non autem quoad modum vel ordinem, & tamen semper erit defectus in ultimo judicio, quo propriè dicitur aliquid agendum vel omittendum esse; peccata igitur ignorantiz, peccata infirmitatis, & peccata malitiæ conveniunt in errore ultimi judicii, differunt tamen in modo inferendi & causis ad judicium erroneum disponentibus; qui peccat ex malitiâ, differt à peccante ex infirmitate: quia hic cadit impulsus gravi tentatione, ille nullâ passione præventus in peccatum consentit; peccans ex malitiâ differt à peccante ex ignorantia: quia hic caret requisitâ scientiâ speculativâ, quam si haberet, non peccaret, ille deficit in actuali solum scientiâ & ultimo judicio: ut qui ex ignorantia vincibili frangit jejunium, peccat in hoc, quod ex negligentia culpabili nesciens hodie esse diem jejunii non subumat: hodie

DE
hodie est die
ex malitiâ fra
quod sit jejun
concupiscen
cit, non obi
& nunc carn
dicendo esse
peccatam novi
Obj. 2. Pe
hic & nunc m
judicio volun
potest, non i
ut peccare nul
dem hoc dicit
R. Disting
tentiâ anteced
Impotentia co
co & non int
non potest ve
non sequitur
libera: siqui
sed conseq
taria applicati
quens non la
Q. An un
cari?
R. Juxta su
peccaminosus
quenter med
de unum pecc
num peccatu
specialia auxi
catum.

hodie est dies jejunii, ergo est jejunandum, qui verò ex malitiâ frangit jejunium habet judicium conscientiæ: quod sit jejunandum, nihilominus tamen abstractus à concupiscentiâ divertit intellectum. & virtualiter dicit, non obstante prohibitione legis est delectabile hic & nunc carnes comedere, & ita ratio practicè errat, dicendo esse eligendum, quod tamen per scientiam præviam novit non esse præ suo opposito eligendum.

Obj. 2. Posito dictamine rationis pratico: quod hic & nunc mentiri sit peccatum, vel potest stante hoc judicio voluntas facere oppositum, vel non, si non potest, non manet formaliter libera; si potest, poterit peccare nullo existente errore in intellectu: siquidem hoc dictamen est rectum.

R. Distinguendo i. am partem: si non potest impotentiâ antecedente, non manet formaliter libera. Con. Impotentiâ consequente N. Stante hoc judicio pratico & non interrupto per alium actum consequentem, non potest voluntas niri in contrarium, ex quo tamen non sequitur, quod voluntas non maneat formaliter libera: siquidem hæc impotentia non est antecedens sed consequens: quia talis impotentia oritur ex voluntaria applicatione intellectûs, impotentia vero consequens non lædit libertatem.

Q. An unum peccatum possit esse causa alterius peccati?

R. Juxtà supra dicta affirmativè: nam imprimis actus peccaminosus est causa habitûs peccaminosi, & consequenter mediante habitu est causa peccati alterius; deinde unum peccatum frequenter disponit ad aliud, & deinde unum peccatum est causa, cur Deus in pœnam peccati specialia auxilia deneget, sine quibus non vitabit peccatum.

